444

444
E 26

E

26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

Kw 444 E 26
8.

# DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE

# Acquirenda, vel amittenda poſſeſſione.

*QUAM*

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D. GERARDI NOODT, Juriſconſulti,
& in Academiâ Lugduno-Batavâ
Anteceſſoris Ordinarii,

NEC NON

*Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis* JURIDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in UTROQUE JURE Honoribus, & Privilegiis
ritè ac legitimè obtinendis,

*Eruditorum examini ſubmittit*

FRANCISCUS FAGEL, Haga-Batav.

*Ad diem 17. Julii loco horiſque ſolitis.*




*LUGDUNI BATAVORUM,*
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. M DC XCVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

*Clariſsimis, Conſultiſsimis, Spectatiſsimiſque*

VIRIS

D.D. ANTONIO MATTHÆO, J. U.D. ejuſdemque facultatis, in illuſtri Lugd. Bat. Athenæo Anteceſſori, eruditione ſua celeberrimo.

D.D. JOHANNI VOET, J. U.D. ac in Illuſtri Batav. Lugdunenſi Academia tum Theoretici, tum Practici Juris Profeſſori omni honore, ac laude, à cunctis extollendo.

D.D. GERARDO NOODT, J. U.D. ac facultatis ejus in inclyto Academia Lugduno Batava Profeſſori Ordinario, ſtudio Juris & vigilantia celeberrimo, Promotori.

D.D. PHILIPPO REINHARDO VITRIARIO, J.U.D. in dicta Academia Lugduno Batav. ejuſdem facultatis Profeſſori, Viro doctiſſimo, ſagaciſſimo.

UT ET

D.D. JOANNI ANTONIO DE ROUCK, J. U. D. cauſarum Patrono apud Haganos haud inexperto, ſtudiorum meorum fundatori unico,

*Hanc diſſertationem inauguralem dicat conſecratque*

FRANCISCUS FAGEL,

*Auctor.*

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE

# Acquirenda, vel amittenda poſſeſſione.

## CAPUT I.

### *Definitio, ejuſque explicatio.*

Decet omnem, quæ à ratione ſuſcipitur, de re aliqua tractationem à definitione proficiſci, ut quid ſit, de quo diſputatur, melius intelligi poſſit auctore Cicerone *l.* 1. *de Offic.* quare & à definitione poſſeſſionis initium facturus eandem eſſe dico detentionem rei cum affectu ſibi habendi *l.* 1. *pr. junct. l.* 18. *ff. h.* t.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

Dixi *detentionem*, quoniam ſine detentione nulla eſt poſſeſſio, attamen hoc verbum paulo latius accipiendum eſt, ut non modo detentionem indigitet naturalem, ſed & rationem poſſidendi civilem ſimul contineat, adeo ut res detineri, & hac detentione poſſideri videatur, non tantum ſi ei naturaliter incumbat quis, verum etiam ſi de ea diſcedat, retento ſolo animo in eam revertendi: adjuvat haud parum interpretationem hanc communis utilitas, cujus intereſt, homines non cogi ſuæ poſſeſſioni continue incumbere more teſtitudinum *l.* 3. §. 11. *l.* 44. §. *ult. cum ſeqq. ff. & l.* 4. *C. eod.*

Addidi *rei*, quia ejus ſignificatio eſt latiſſima *l.* 6. *de V.S.* non tantum corporales, ſed & incorporales comprehendens, & licet eo ipſo, quod poſſeſſio vocatur detentio, ſatis indicetur poſſeſſionem propriam eſſe rerum corporalium *l.* 3. *ff. h.t.* Non tamen illis aſſentiendum arbitror, qui audacter docent incorporalium nullam eſſe poſſeſſionem, pro ſua opinione allegantes *l.* 4. §. 24. *ff. de uſurp. & uſucap.* quoniam earum uſus pro poſſeſſione haberi explorati juris eſt *l. ult. ff. de ſervit. l.* 11. §. 1. *ff. de publ. act.* & inde quaſi poſſideri dicuntur *l.* 23. §. 2. *ex quib. cauſ. maj adde l.* 10. *ff. de ſervit. urb.*

Denique ſubjunxi *cum affectu ſibi habendi*, quoniam perinde eſt, ſive id fiat cum affectu domini, ſive abſque eo, ut hæc definitio prædicetur tam de naturali, quam civili poſſeſſione, quoniam uterque gerit animum ſibi habendi, at uterque non animum domini, quia hunc ſolus civilis poſſeſſor, non etiam naturalis habet.

Præterea hiſce verbis poſſeſſio diſtinguitur à nuda detentione, aliud longe eſt poſſidere, aliud in poſſeſſione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

ſione eſſe, ſeu detinere inquit Juriſconſultus in *l.* 10. §. 1. *ff. h. t.* nam detinere latius eſt extenſum quam poſſidere: omnis enim qui poſſidet, detinet, multi tamen ſunt, qui detinent & non poſſident, ſed tantum in poſſeſſione ſunt, ut depoſitarii, commodatarii, coloni, & ii, qui ex primo decreto in poſſeſſionem miſſi ſunt. *l. 9. ff. de rei vind. l.* 10. §. 1. *l.* 3. §. 20. *& ult. ff. h. t.*

## CAPUT II.

### *Quotuplex ſit poſſeſsio.*

Definitione poſſeſſionis ita explicata ordo requirit, ut ad ejus diviſionem procedam; de qua, & multo magis de ejus explicatione adeo Doctores inter ſe diſcrepant, ut vix certa doctrina ex eorum dictis colligi poſſit: ego tamen eorum opinioni, qui duplicem eam ſtatuunt, nempe naturalem & civilem adſcribere non vereor per *l.* 1. §. 9. *ff. de vi & vi arm. l.* 3. §. *ult. ad exhibend.* per civilem intelligo detentionem rei animo ſibi habendi & cum opinione dominii, quomodo poſſidet verus dominus & bonæ fidei poſſeſſor *l.* 1. §. 11. *ff. uti poſſid.* §. 35. *Inſtit. de rer. diviſ. l.* 136. *de Reg. Jur. l.* 13. §. 1. *de publ. act. l.* 22. §. 1. *de nox. act.* Eſtque hæc poſſeſsio ſemper juſta, quod attinet ad conſcientiam, licet ad titulum quod attinet, injuſta videatur *l.* 3. §. *ult. junct. l.* 13. §. 1. *ff. de public. in rem act.* At naturalis poſſeſſio eſt detentio quidem rei animo ſibi habendi abſque autem opinione dominii, quæ vel



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

ob malam fidem & conſcientiam rei alienæ, vel ob ipſam deſtinationem & voluntatem eorum, qui poſſeſſionem ita tradunt & accipiunt, effectum & commodum exiguum producit jure civili; quomodo poſſident, qui furto, vi, clam, vel precario poſſident *l. 67. princ. ff. de furt. l. 6. h. t. & l. 1. §. ult. uti poſſid.* Item creditor circa pignus, quod naturaliter poſſidere dicitur *in l. 40. §. ult. ff. de pign. act.* Eſtque hæc poſſeſſio injuſta iterum, vel juſta, injuſta, ut in fure & prædone *l. 7. §. 4. ff. commun. divid. l. 3. princ. ff. uti poſſid.* juſta, ut in creditore *l. 13. §. 1. ff. de publ. in rem act. l. 22. §. 1. ff. de noxal. act.* qui ideo etiam bona fide poſſidere dicitur in *l. 22. ff. de pign. act.*

## CAPUT III.

### *Quænam res poſſideri poſſunt.*

Hiſce de poſſeſſione, ejuſque diviſione præpoſitis, fas erit breviter inquirere in eas res, quæ poſſideri poſſunt, cum poſſeſſio ſignificat detentionem, hinc (ut ante ſcriptum) facile liquet, eas res proprie poſsideri poſſe, quæ detineri poſſunt, ut ſunt res corporales *l. 3. ff. h. t.* ſive mobiles, ſive immobiles *l. 7. l. 13. ff. h. t.* modo ſint certæ, nam in incertas non cadit animus, ſeu affectus *l. 3. §. 2. l. 26. princ. ff. h. t. l. 32. §. 2. de uſurp. & uſucap.* & in commercio exiſtentes, quæ enim humano commercio ſunt exemptæ, ut res ſacræ, religioſæ & ſanctæ, item liber homo poſſideri nequeunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

queunt *l.* 30. §. 1. *l.* 23. §. *ult. ff. h. t.* licet eædem aliquando a neſcientibus tales res eſſe, æque ac ſi in commercio eſſent, ex juſto errore poſſideantur. E. G. ſi liber homo pro ſervo poſſideatur §. 4. *Inſt. per quas perſ. l.* 1. §. 6. *l.* 4. *ff. h. t.* itaque incorporalia, ut ſervitutes, quia detineri nequeunt, proprie non poſſidentur *l.* 4. §. 27. *ff. de uſurp. & uſucap.* quia tamen quaſi detentionem habent, quæ in ſolo uſu & alterius patientia conſiſtit *l. ult. ff. de ſervit.* quaſi poſſideri dicuntur *l.* 23. §. 2. *ff. ex quib. cauſ. maj. l.* 10. *ff. ſi ſervit. vind.* Unde de his interdicta quaſi poſſeſſoria *l. ult. ff. de ſervit.* & actio publiciana competit *l.* 11. §. 1. *ff. de publ. in rem. act.*

## CAPUT IV.

## *Poſſeſſio quomodo acquiratur.*

Pergendum jam ad modos, quibus poſſeſſio acquiritur: regula juris traditur à Juriſconſulto in *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* quod animo & corpore ſimul acquiratur, neque per ſe animo, aut per ſe corpore: à qua tamen receſſum uſu & conſuetudine utentium, ſed quoniam non una & conſtans omnium veterum Juriſconſultorum fuit ſententia: quidam ab hac regula receſſerunt quaſi jubente utilitate, & palam docuerunt, ſimulatque animus idoneo ſigno proderetur palam, & cum eo facultas occupandæ rei probabiliter concurreret, & poſſeſſionem tum acquiri, inter alios eruditione claros Doctores fuit Trebatius *l.* 5. §. 1. *ff. de acq. rer. dom.* nec non Proculus *l.* 55. *eod.*

*junct.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

*junct. l.* 3. §. 3. *ff. h. t.* Verba ejus loci, quia pleniorem exigunt explicationem, apponam, ait Paulus *Neratius & Proculus*, *& ſolo animo non poſſe nos acquirere poſſeſſionem, ſi non antecedat naturalis poſſeſſio*: hæc vulgata ſed depravata eſt lectio, ut ex verbis ſequentibus patet cum ita pergat *Juriſconſultus*, *ideoque ſi theſaurum in fundo meo poſitum ſciam. continuo me poſſidere ſimul atque poſſidendi affectum habuero: quia quod deſit naturali poſſeſſioni id animus implet &c.*

§. I.

Rectius ergo, ut mea fert opinio, diſtingendum eſſet, utrum res aliquando in alicujus dominium pervenerint, nec ne, & ſi pervenerint, utrum voluntate an ſine voluntate occupentur: ita operæ prætium erit hoc tanto excutere accuratius, quanto id aliis, & quidem JConſultis conſtantius negatur: ſi res nunquam in alicujus dominium pervenerint à regula juris non receſſerunt, adeoque naturalem detentionem neceſſariam eſſe volebant, ut in feris beſtiis *l.* 5. §. 1. *in fin. ff. de acq. rer. dom.* nec non in lapillis, gemmis, margaritis in littoribus inventis *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* Præterea nec in illis rebus, quæ aliquando in alicujus dominium pervenerunt, & ſine voluntate domini occupantur à regula juris receſſerunt; ut in his, quæ per furtum auferuntur *l.* 3. §. 18. *ff. h. t. l.* 67. *ff. de furt.* Item in theſauro *l.* 3. §. 3. *l.* 44. *ff. h. t.* item & in hæreditate dicendum, nam poſſeſſionem defuncti non continuari in hæredem, verum opus eſſe corporali rei apprehenſione juris eſt certiſſimi *l.* 23. *ff. h. t.* quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

quoniam in hæredem id modo transfunditur, quod eſt hæreditatis, poſſeſſio autem hæreditatis non eſt: *l.* 1. *§.* 15. *ſi is qui teſt. lib. eſſe juſſ.* quod de extraneo omnes concedunt, verum id a jure romano tam eſt alienum, quam id quod eſt alieniſſimum, nec refragatur *l.* 30. *ff. ex quib. cauſ. maj.* ubi dicitur *poſſeſſionem defuncti quaſi junctam deſcendere ad hæredem*, poſſeſſionis enim verbum in jure ſæpe pro uſucapione accipitur, ut in *l.* 19. *l.* 23. *§.* 1. *ff. ex quib. cauſ. maj.* & hoc modo in dicta *l.* 30. uſurpari probatur verbis præcedentibus, cum quæſtio ibi propoſita non fuerit de ipſa poſſeſſione, ſed uſucapione; præterea *dict. l.* 30. de extraneo, non de ſuo loquitur: adeoque ſi quid ad rem faceret, probaret extraneo etiam poſſeſſionem ipſo jure acquiri, quod, ut ipſi fatentur, abſurdum eſt. In hiſce vero rebus, quæ in alicujus dominium pervenerunt & voluntate domini in alium transferuntur, a regula juris receſſerunt, & ſolo animo abſque corporali rei apprehenſione poſſeſſionem acquiri poſſe exiſtimabant, ſi modo quacunque ratione (vel ex oculis & præſentis rei aſpectu *l.* 1. *§.* 21. *l.* 18. *§.* 2. *ff. h. t. l.* 79. *ff. de ſolut.* vel ex appoſitione cuſtodis *l.* 51. *ff. h. t.* vel ex clavium traditione apud horreum, in quo eſſent merces venditæ *l.* 1. *§.* 21. *in fin. ff. h. t. l.* 74. *ff. de contrah. empt.* vel ex præcedente detentione ex cauſa depoſiti, vel commodati, vel locati *l.* 9. *§.* 5. *ff. de acq. rer. dom.*) ſub acquirentis ſint cuſtodia; propterea quod in his omnibus corporalis rei apprehenſio, quæ tantum cuſtodiæ gratia adhibetur, nihil plus permitteret acquirenti, quam jam haberet per cuſtodiam rei mobilis: quod dictum non tantum in rebus mobilibus, ſed



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

etiam locum habet in rebus immobilibus, juxta auctoritatem Celſi in *l.* 18. §. 2. *ff. h. t.*

§. 2.

Dixi ad acquirendam poſſeſſionem regulariter etiam opus eſſe corporali rei apprehenſione, verum ſi corpora ſint unita neceſſe non eſt, ut ſingulæ rei partes apprehendantur, cum & una tantum fundi parte apprehenſa, totus fundus cenſeatur apprehenſus *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* niſi adſit impedimentum, vel perſonæ, ut ſi aliquis fundus pro parte ſacer ſit factus, puta ſi alicui parti templum ſit impoſitum, tunc apprehenſione partis iſtius fundi non dicitur apprehenſa totius fundi poſſeſſio, quia res eſt impedimento, ſic ſi adverſarius partem fundi adverſus orientem vi detineret, ego partem fundi apprehendo, quæ vacua eſt, jam non dicor apprehendiſſe poſſeſſionem totius fundi, quia perſona eſt impedimento, & ita procedit *l.* 18. §. *ult. ff. h. t.* in corporalibus vero diſtantibus aliud obtinet, ut ſi ovem unam attingam non totum gregem occupaſſe cenſeor, item ſi prædia ſint donata cum ſervis, & unum ſervum attingam, non omnes ſervos & prædia occupaſſe intelligor, quamvis per unum ſervum poſſeſſionem reliquorum acquirere poſſim *l.* 48. *l.* 1. §. 16. *ff. h. t.* Sic poſſeſſione unius rei hæreditariæ apprehenſa, male infertur apprehenſam eſſe poſſeſſionem aliarum rerum hæreditariarum.

§. 3.

Porro qualiſcunque rei apprehenſio non ſufficit ad acqui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

acquirendam poſſeſſionem, ſed deſideratur acquiſitio rei vacuæ, nec ab alio poſſeſſæ *l.* 12. *Cod. de prob. l.* 8. *Cod. de act. empt. l.* 52. §. 2. *ff. h. t.* Hæc veriora ſunt, ſi cogitemus, poſſeſſionem eſſe detentionem, & quemadmodum plures eandem rem detinere non poſſunt, nec plures in eadem ſtare vel ſedere, ita nec plures eandem rem in ſolidum, id eſt, rem totam poſſidere poſſunt, ne quidem alter animo, alter corpore, alter juſte, alter injuſte; quoniam in ſumma poſſeſſionis non multum intereſt; juſte quis, an injuſte poſſideat: *l.* 3. §. 5. *ff. h. t.* quamquam fateor, quod interpretatione juris, quoad varios effectus, aliquando duo poſſidere videantur, cum tamen revera in ſolidum non poſſideant. F. Gr. Creditor poſſidet rem oppigneratam, quoad omnes cauſas, una excepta, ſc. uſucapione *l.* 16. *ff. de uſurp. & uſucap.* & eam debitor poſſidere fingitur *l.* 13. *l.* 33. §. 4. *ff. de uſurp. & uſucap. l.* 1. §. 15. *ff. h. t.* Atqui traditum eſt in *l.* 3. §. 4. *ff. h. t.* quod ex pluribus cauſis quis eandem rem poſſidere poſſit, hoc ſi verum ſit, quomodo dicemus eandem rem in ſolidum poſſideri non poſſe! ut autem hujus legis reſolutio planior ſit, præmittendum puto, quod ſunt tituli generales & ſpeciales; generales ſunt pro ſuo, & pro hærede, ſpeciales veluti pro emptore, pro donato, pro legato & ſimiles: generales jam poſſunt concurrere cum ſpecialibus, ut pro emptore & pro ſuo, vel pro emtore, & pro hærede, & de his tractatur, *in d. l.* 3. §. 4. ad eoque accuratius rem exigenti non duo hic tituli, ſed unus tantum revera eſſe videtur, ſi quidem tituli generales, qualitates magis, & acceſſiones aliorum titulorum particularium eſſe videntur, at ſpeciales cum ſpecialibus concurrere nequeunt, ut pro emptore, & donato, illam enim poſſeſſionem ſi appre-

hendo, hanc amitto, & ſi hanc apprehendo, illam amitto *l.* 2. §. *ult. l.* 3. *ff. pro empt.*

## CAPUT V.

## *Qui poßeſſionem acquirere poſſunt.*

Cum ad acquirendam poſſeſſionem non ſolummodo corpus, verum etiam animus deſideretur, inde facile intelligimus quinam poſſeſſionem acquirere poſſunt, nempe illi tantum quibus poſſidendi animus & affectus eſt, hinc furioſus ſibi poſſeſſionem non quærit *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* ne quidem accedente auctoritate curatoris *arg. l.* 5. *ff. de R. J. l.* 1. *ff. de bonor. poſſeſ. furioſ.* neque ex regulis juris pupillus infans, niſi per tutorem *arg. l,* 1. §. 20. *ff. h. t.* infante major niſi ex auctoritate tutoris poſſeſſionem acquirere poteſt, verum hodie utilitatis cauſa receptum contra regulas juris, ut pupillus infante major ſine tutoris auctoritate *l.* 1. §. 3. *ff. h. t.* infans ex auctoritate tutoris poſſeſſionem acquirere poſſit *l.* 32. §. 2. *ff. h. t.* difficultatem (ut multis videtur) inſignem injicit *l.* 3. *Cod. h. t.* ſed non eſt magni momenti; hic tamen dicitur, quod poſſeſſio infanti corpore acquiratur, non vero additur, quod per tutorem, neque etiam quod ex auctoritate tutoris acquirat: adeoque dictam *l.* 3. ſimpliciter loquentem, ex textibus ſupra adductis ſignificantius & plenius rem declarantibus, reſtringendam puto ad caſum, quo intervenit tutoris auctoritas, imprimis cum Imperator *d.l.* 3. dicit

ſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

ſe tollere quæſtionem, quæ antiquitus obtinuit, illa jam de re non erat quæſtio, utrum infans ex tutoris auctoritate, an ſine eâ acquireret *arg. l. 32. §. 2. ff. h. t.* verum illud erat controverſum; an per tutorem, an ex tutoris auctoritate acquireret.

§. 1.

Item municipia proprie & ſubtili ratione non poſſident, cum ipſis non ſit animus poſſidendi, utilitatis tamen cauſa receptum eſt, ut poſſidere poſſint per ſervos ſuos & adminiſtratores. *l. 1. §. ult. l. 2. ff. h. t.*

§. 2.

Non ſolummodo per noſmetipſos, verum etiam per eos, quos in poteſtate habemus (ſi modo habeant intellectum poſſidendi *l. 1. §. 9. 10. 11. ff. h. t.*) poſſeſſionem nanciſcimur *l. 10. §. 2. ff. de acquir. rer. dom. §. 3. Inſtit. per quas perſ. &c.* ut per filios *l. 4. §. 5. ff. h. t.* & per ſervos, ſive proprios *d. l. 1. §. 5.* ſive communes, ſc. pro rata dominii, ut in acquirendo dominio *l. 1. §. 7. ff. h. t. junct. l. 5. ff. de ſtip. ſerv.* nec non per ſervos alienos & liberos homines bona fide poſſeſſos. *l. 1. §. 6. ff. h. t.* Item fructuarios, per quos ſicuti per ſervos alienos, & liberos homines bona fide poſſeſſos non ſimpliciter, ſed tantum ex re noſtra, & operis nobis debitis poſſeſsionem acquirimus *l. 1. §. 8. l. 49. ff. h. t. §. 4. Inſtit. per quaſ. perſ. &c.*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

§. 3.

Cæterum poſſeſsio cum naturaliter acquiratur *l. 53. ff. de acquir. rer. dom.* etiam per extraneas perſonas, quæ noſtro juri ſubjectæ non ſunt, nobis acquiritnr: veluti per procuratorem, cui adminiſtratio rerum noſtrarum mandato, ſive ſpeciali, ſive generali, commiſſa eſt *l. 1. Cod. per quaſ. perſ. l. 1. §. 20. ff. h. t.* non tantum ſcientibus ſed etiam ignorantibus *§. 5. Inſtit. per quas perſ. l. 1. Cod. h. t. l. 49. §. 2. l. 34. §. 1. ff. h. t.* ſi modo hoc animo fit, ut nobis acquirat, ſin autem aperte præ ſe ferat, ſi ſibi eam rem velle acquirere, nihil ad nos pervenit *l. 1. §. 20. ff. h. t.* quod ſecus eſt, ſi propoſitum tantum in mente retineat, nec exprimat ſe ſibi acquirere, quo ſenſu accipienda *l. 13. ff. de donat.*

§. 4.

Notandum ſolo animo poſſeſsionem acquiri non poſſe, ſed tamen ſolo animo acquiſitam retineri nemini dubium propter expreſſas auctoritates in *l. 3. §. 7. 8. 11. & ſeqq. l. 6. in fin. l. 44. §. ult. ff. l. 4. Cod. h. t. junct. l. 1. §. 25. de vi & vi arm.* modo ne ab alio occupata ſit, aut ſaltem occupatam ignoremus *l. 46. ff. h. t.*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

# CAPUT VI.

## *Effectus poſſeſſionis.*

Poſſeſsio varios atque inſignis habet effectus & utilitates; quinam autem illi ſunt breviter attingam. 1. eſt, quod quilibet poſſeſsor, etiam injuſtus, hoc ipſo quod poſſeſſor eſt, plus juris habeat, quam ille, qui non poſsidet *l.* 2. *ff. uti poſſid.* modo ab ipſo adverſario ſuo, nec vi, nec clam, nec præcario poſſideat *l.* 1. *§. ult. ff. uti poſſidet.* 2. Quod poſſeſſor pro reo habeatur; itaque non cogitur probare rem ad ſe pertinere, ſed petitori incumbat neceſsitas probandi rem ſuam eſſe, atque in ea probatione petitore ceſſante res apud poſſeſſorem remanet, licet ipſe nihil probaverit, ex communi regula tradita *in l.* 2. *l.* 8. *Cod. de prob. l.* 4. *Cod. de edend. §.* 4. *Inſtit. de interd. l. ult. Cod. de rei vind.* quam ob cauſam Juriſconſultus Gajus ei, qui deſtinavit rem petere, conſilium dat, ut videat num aliquo interdicto poſſeſsionem naſciſci poſsit, atque ita onus probandi in adverſarium derivare *l.* 24. *ff. de rei vind.* 3. Quod in pari cauſa pro poſſeſſore judicare ſolet *l.* 128. *de Reg. Jur. l.* 9. *§.* 4. *de publ. in rem act.* 4. Quod poſſeſſor regulariter non tenetur edere titulum ſuæ poſſeſsionis *l.* 11. *Cod. de petit. hæred.* cum actoris nihil interſit, nam probato dominio rem evincet, quocunque titulo poſsideatur, modo ne reus juſta aliqua exceptione tutus ſit *l.* 9. *ff. de rei vind.* 5. Quod qui in alieno ſolo ædificavit repetat impenſas per exceptionem doli mali, ſi ſc. poſſideat *l.* 7. *§.* 12. *ff. de acquir. rer. dom. l.* 14. *ff. de*

*ex-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

*except. dol. mal. l.* 33. *ff. de cond. indeb.* Sin autem non deductis impenſis domino tradiderit, nulla actio in jure mihi cognita eſt, qua impenſas conſequeretur, ideoque ſibi imputare debet, quod cum poſſet, noluerit hoc damnum præcavere. 6. Quod ſine poſſeſsione non acquiratur dominium, dominia enim rerum non nudis pactis, ſed traditionibus & uſucapionibus transferuntur *l.* 20. *Cod. de pact. l.* 3. *ff. de oblig. & act.* inſigne hujus rei extat exemplum in *l.* 15. *Cod. de rei vind.* ubi dicitur, *quotiens duobus in ſolidum prædium jure diſtrahatur, manifeſti juris eſt, eum, cui priori poſſeſſio tradita eſt, in dominio eſſe potiorem.* 7. Quod ex eo interdicta dantur pro acquirenda, retinenda, & recuperanda poſſeſsione *tot. tit. ff. & Inſt. de interd.* 8. Quod bonæ fidei poſſeſſor, inſtar domini *l.* 25. §. 1. *de uſur.* omnes fructus perceptione ſuos facit *l.* 28. *eod. l.* 48. *ff. de acq. rer. dom.* dummodo acceperit poſſeſsionem ex juſto titulo. 9. Quod completo tempore uſucapionis a lege præſcripto, rei poſſeſſor verus dominus conſtituatur *l.* 3. *ff. de uſurp. & uſucap.* Itaque non immerito ex poſſeſſionibus cæpiſſe dominia JCtus teſtatur in *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* 10. Quod poſſeſſor rerum immobilium relevetur ab onere ſatisdandi, ut judicio ſiſtat *l.* 15. *ff. qui ſatisd. cog.* 11. Quod poſſeſſori, non tantum licitum ſit poſſeſsionem ſuam cum moderamine inculpatæ tutelæ defendere *l.* 1. *Cod. unde vi l.* 3. §. 9. *ff. de vi & vi arm.* Adeo ut etiam judici abſque cauſæ cognitione procedendi, ejuſque officialibus recte reſiſtatur *l.* 5. *Cod. de jure fiſc. l.* 5. *Cod. de execut. & exact. l. ult. Cod. de diſcuſſ.* verum etiam amiſſam propria auctoritate recuperare, modo id fiat in continenti; nam ex intervallo hoc non liceret; quia non tam videretur defenſio

jure

jure naturali permiſſa, quam offenſio & ultio privatis prohibita *l.* 3. §. 9. *l.* 17. *ff. de vi & vi arm.*

## CAPUT VII.

## *Poſſeſsio quomodo amittatur.*

Amittitur poſſeſsio quemadmodum acquiritur, nempe animo & corpore ſimul, ut ait Juriſconſultus Paulus in *l.* 153. *de Reg. Jur.* nec non in *l.* 8. *ff. h. t.* verum hæc regula adeo non eſt perpetua, ut nunquam fallat, idem enim Juriſconſultus Paulus in *l.* 3. §. 6. *ff. h. t.* ait, *in amittenda quoque poſſeſſione affectio ejus, qui poſſidet, intuenda eſt. Itaque ſi in fundo ſis, & tamen nolis eum poſſidere, protinus amittes poſſeſſionem igitur & ſolo animo amittere poteſt, quamvis acquiri non poſſit.* Ideoque prudenter addita eſt in initio *d. l.* 153. particula *fere*, quæ poſtea in verſiculo *ſed igitur.* procul omni dubio repetenda, & conſequenter in *d. l.* 8. (cujus eadem inſcriptio eſt, quæ *d. l.* 53.) ſupplenda eſt hoc modo: *nulla fere poſſeſſio amittitur niſi animo & corpore, quandoque tamen ſolo animo amitti poteſt.* Ut ſi quis in fundo ſit & tamen nolit eam poſsidere, protinus amittit poſſeſsionem *l.* 3. §. 6. *ff. h. t.* id quoque indicat *l.* 18. *ff. h. t.* qua in re dominium à poſſeſsione differre ait Ulpianus in *l.* 17. §. 1. *ff. h. t.*

§. 1.

Iſte vero animus, eique conjuncta detentio amittitur, vel quod nolumus amplius poſſidere, licet poſſemus;



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

mus: ut ſi alteri eo fine tradamus *l. 17. in fin. l. 38. §. 1. ff. h. t.* vel quod nequeamus amplius poſſidere, licet vellemus, idque variis modis contingit: & quidem rerum mobilium poſſeſſionem inviti amittimus per furtum, & rapinam *l. 15. ff. h. t. l. 5. ff. de uſur. & uſucap.* Quo etiam pertinet, ſi commodatarius, vel depoſitarius recuſet reddere rem, detinens eam pro ſua, & loco movens *l. 3. §. 18. ff. h. t. l. 67. ff. de furt.* & puto ita intelligendam eſſe *l. 47. ff. h. t.* Aut per amiſſionem, ut non inveniantur *l. 3. §. 13. eod.* ut ſi in flumen demerſæ ſint *l. 13. pr. ff. h. t.* ſi pecus aberraverit *l. 3. §. 13. ff. h. t.* ubi tamen, ut ſupra dictum eſt, excipitur ſervus fugitivus: Immobilium vero per violentam occupationem etiam nobis abſentibus, ſi reverſi aut repellamur, aut vim metuentes ſponte cedamus *l. 3. §. 8. l. 6. §. 1. l. 7. l. 25. §. ult. ff. h. t.* ita ſi res in poteſtate hoſtium pervenerint *l. 18. §. ult. ff. h. t.* & quidem captus ab hoſtibus etiam poſſeſſionem rerum ſuarum amittit *l. 23. §. 1. ff. h. t.* præterea ſi res commercio ſit exempta, vel in aliam ſpeciem tranformata *l. 30. §. 1. & 4. ff. h. t.* ſi flumen vel mare locum poſſeſſum occupaverit *l. 3. §. 17. ff. h. t.* item ſi prætor aliquem in poſſeſsionem ire juſſerit quod damni infecti nomine non caveret dominus, poſſeſsionem eum invitum amittere Labeo ait in *l. 30. §. 2. ff. h. t.* quæ pro inſtituto meo, cum ſufficere viſa ſunt, hic erit

# FINIS.

CO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

# COROLLARIA.

I.

*Periculum & commodum rei venditæ ad emtorem ſpectat.*

II.

*In invectis, & illatis in prædium ruſticum jus taciti pignoris non eſt.*

III.

*Error jus non facit.*

IV.

*Veſtimentorum non eſt verus uſusfructus.*

V.

*Jus accreſcendi in hæreditatibus à teſtatore prohiberi non poteſt.*

VI.

*Rei alienæ legatum valet.*

VII.

*Fidejuſſor in majorem ſummam acceptus tenetur ad ſummam concurrentem.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 26